



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XVIII. Destructo alterius sententiæ fundamento, veritas amplius
confirmatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

fratione spiritus, proculdubio non est ex vera gratia saluante, seu per se conferente ad aeternam salutem, de qua loquuntur Patres, cum dicunt, ad singula bona opera gratiam spiritus esse necessariam.

Septimo hoc confirmat Augustinus, frequenter docēs, in vanum aedificare externum predicatorem, nisi Deus interius aedificet singulari modo, & auxilio. Sic loquitur de omnibus operibus gratiae, & de ipsa fide libr. de Prædest. Sanctor. cap. 7. dicens. Si ad edificium pertinet fides, in vanum laborat predicando aedificans fidem, nisi eam Dominus miserando intus aedificet. Idemque a fortiori intelligit de quolibet bono opere, qui proficitur ex gratia, & ad aedificium salutis pertinet. Vnde inferius capit. 8. explicans vocationem congruam gratiae per modum doctrinae, inquit. Valde remota à sensibus carnis est haec schola, in qua Pater auditur, & docet, ut veniat ad Filium. Et infra. Multos venire videmus ad Filium, quia multos videmus credere in Christum, sed ubi, aut quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus; nimis gratia ista secreta est, & occulte humanis cordibus diuina largitate tribuitur. Profecto haec, & similia nullo modo applicari possunt naturali cogitationi, quae vi tantum externorum obiectorum, aut signorum naturali virtute intellectus cum solo Dei generali concursu excitatur. Quoniam cogitatio illa, quam sensibilia obiecta, vel voces excitant, non potest dici valde remota à sensibus, sed potius cum illis ex natura rei coniuncta, nec illam, vel per illam solam aedificat Deus speciali auxilio interno, sed solo generali concursu primae causae: nec denique dici potest gratia talis cogitationis alta, & secreta; aut ignota esse, ubi aut quomodo Pater illam doceat, vel immitat, cum confiet, per sola sensibilia obiecta, & generali modo operando illam tribuere. Ergo cogitatio sancta, ad quam Augustinus disputationem de gratia, seu initium iustificationis reuocat, altioris rationis est, & peculiarem internam Dei operationem postulat praeter externam doctrinam, & cogitationem, quae ex vi illius cum solo generali concursu interius resultat. Vnde est illud Augustini libr. de Grat. Christi, capit. 13. Haec gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicitur, ut altius, & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, & rigant, sed etiam per se ipsum. Ergo è contrario cogitatio, quae fit per eos solum, qui plantant, & rigant exterius, neque altiori modo à Deo interius fit, quam concurrente cum naturali lumine intellectus generali modo, non potest dici gratia, sed mere naturalis doctrina. Et in toto illo capite, & sequenti, imo fere in toto illo libro explicat veram gratiam per interiorum motionem Dei, quam exteriora obiecta per se non possent efficere, ut per hoc detegat veritatem Pelagij.

11. Oportet ab inconuenienti ostendere possumus cogitationem illam congruam non esse veram Christi gratiam, de qua Patres loquuntur, quia alias sequeretur, posse hominem mereri de congruo fidem, vel primam gratiam internam, & supernaturalem per opus bonum morale factum ex illa cogitatione congrua naturali, quia si illa est vera gratia, iam est opus gratiae, & consequenter potest fundare meritum alterius gratiae. Posset quidem negari illatio, ut infra videbimus, tamen nunc ad hominem argumentamur. Nam id consequenter concedit Valsquez locis citatis. Consequens autem esse alienum à sententia Augustini, & vix posse à Semipelagianorum sententia re ipsa à nobis distingui, licet verbis differre videatur, infra disputando de auxilijs gratiae ex professo tractandum est. Nunc vero declaratur ex verbis Pauli ad Thesal. 2. Gratia estis saluati per fidem (& hoc non ex vobis, donum enim Dei est) (vtique ipsa fides) non ex operibus, ut ne quis gloriatur. Vbi a fide distinguitur opus, quae a fide non procedunt, nam quae procedunt à fide, iam non sunt ex nobis, cum fides sit Dei donum. Ergo opera quae procedunt ex cogitatione honesta naturali, censet Paulus esse ex nobis, & non esse meritoria salutis,

ne quis possit in se ipso gloriari. Talia autem opera, si fiant, non possunt non esse ex cogitatione congrua; quia in eo ipso, quod habet effectum, est congrua: ergo (teste Paulo) non est gratia, nam si esset gratia, qui in illa gloriaretur, non in se, sed in Deo gloriaretur. Et simili ratione non potest fundare meritum gratiae, alias haberet homo, vnde in se gloriaretur, cum illud meritum non sit ex vera gratia, sed ex opere humano. Et hic est sine dubio sensus Pauli, ut ipsum exposuit Augustinus de Prædest. Sanctor. cap. 7.

Potestque optime confirmari ex Concilio Arausico. 12. ff. de cap. 16. dicens. Nemo ex eo, quod videtur habere, gloriatur, C. 1. ff. de tanquam non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia litera tur ex Cont. extrinsecus, vel ut legeretur, aperuit, vel ut audiretur, insonuit. Arausico. Cogitatio ergo, quae naturaliter excitatur per extrinsecas obiecta, aut verba, non computatur à Concilio inter dona gratiae accepta diuinitus ultra naturam, sed inter ea, quae homo habet à natura, & ideo si quis in tali cogitatione gloriatur, & in ea fundat meritum, non gloriatur in acceptis, nec recte dicit accepisse, vtique per gratiam, quod non altiori modo habet. Et quia illa cogitatio non excedit rationem legis, aut doctrinae, ut supra dicebamus, ideo Concilium suam sententiam probat dicens. Nam sicut Apostolus, ait. si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Et in eodem sensu addit in cap. 21. Sicut Paulus dixit, si ex lege iustitia, &c. Sic & his, qui gratiam, quam commendat, & praecipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur, si ex natura iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Vbi nomine natura videtur intelligere naturalem legem, ut naturali ratione propositam, sic enim distinguit naturam à lege, atque ita sub natura comprehendit, non solum substantiam, & potentiam, sed etiam actum, vel cogitationem naturalem, per quam lex naturae proponitur, siue sufficiens tantum sit, siue etiam congrua, nam loquitur de natura ut includit observationem legis, quod non fit sine aliquo actu, seu effectu bonae voluntatis, cui necessario correspondet cogitatio congrua. Hic verò occurrebat obiectio, quia hinc sequitur ante fidem, vel voluntatem credendi, vel sanctam cogitationem supernaturalem, quod credere oporteat, nullam antecedere veram gratiam. Vnde ulterius sequitur, ante fidem nullum antecedere posse meritum, etiam imperfectum, & de congruo alicuius praemij supernaturalis. Sed hanc obiectionem in praedictum locum de auxilijs referuamus. Nunc fatemur ante primam cogitationem supernaturalem, id est, quae communi concursu naturae haberi non possit, nullam esse gratiam supernaturalem, neque illius meritum, quae autem, & qualis illa sit, ibi declarabimus.

CAPVT XVIII.

Destructio alterius sententiae fundamento, veritas amplius confirmatur.

VLtimo confirmatur haec nostra sententia, & antiquiorum Patrum esse ostenditur eisdem testimonijs, quae in argumentis capite ante praecedenti factis in contrarium obijciebantur, quod in hunc modum propono, & declaro. Nam prima cogitatio sancta, quae est prima gratia in toto ordine iustificationis, & quae non potest cadere sub aliquod meritum, quia est inchoatio, vel fundamentum totius meriti, est cogitatio fidei, vel generanda, quia ad fidem introducendam, per se ordinatur, vel exercenda, quia ab ipsa fide elicitur, ut contingit in homine baptizato, cum primum incipit de diuinis rebus per fidem cogitare: & de hac prima cogitatione loquuntur Patres, quoties contra Semipelagianos ostendere volunt, initium iustificationis, & fidei non posse cadere sub meritum; ergo non solum immerito allegantur, quae afferant, cogitationem naturalem honestam, quantumuis congruam esse gratiam inchoantem iustificationem;

1. Loc. in c. 1. de sententia nos non militat.

nem; verum potius contrarium ex illis testimonijs sufficienter ostenditur. Consequentia quoad priorem partem manifesta est, quia naturalis cogitatio, quantumvis honesta, & congrua, neque est cogitatio fidei, neque est supernaturalis, id est, quæ viribus naturæ elici non possit. Nam cogitatio honesta præcisa congruitate naturalis est, ut etiam author contrariæ sententiæ fatetur, & in ca. 2. huius libri ostensum est. Congruitas autem non addit cogitationi entitatem aliquam, nec realem modum intrinsecum, ratione cuius requiratur supernaturales vires, ut eliciatur, ut in superioribus capitibus latè ostensum est. Altera verò consequentis pars, etiam est evidens, quia non est duplex cogitatio prima, quæ sit vera gratia, & possit esse fundamentum meriti, nec possit cadere sub meritum, quia repugnantiam inuoluit. Si enim duplex esset talis cogitatio, neutra per se esset prima, sed ex accidenti contingeret nunc ab vna incipere, & nunc ab altera; ergo quælibet illarum posset cadere sub meritum, quoties altera præcederet; ergo si aliqua est sancta cogitatio, quæ nunquam possit cadere sub meritum, illa est vnica tantum, seu vnus rationis, & omnis alia, quæ illam antecedit, non est cogitatio verè sancta, id est, inchoans veram sanctificationem, & iustitiam apud Deum; & ita Patres citati semper loquuntur de hac cogitatione tanquam de vna, & vnico iustificationis initio.

2. Superest, ut probemus minorem propositionem in principali argumento subsumptam, quam ostendo, discurrendo per testimonia in obiectionibus allegata? Nam in primo citatur Augustinus lib. 2. cont. duas epist. Pelagian. c. 8. ubi probare intendit, Deum non solum pericere, sed etiam incipere in nobis omne opus bonum ex Paulo ad Philippens. 1. & addit, *Loquimur enim nunc de boni cupiditate, quam si volunt à nobis incipere, à Domino perfici, videant, quid respondeant Apostolo dicenti. Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. ad Corint. 3. ubi duo ponderanda sunt, vnum est quid Augustinus intelligebat per boni cupiditatem quod ipse statim capit. 9. declarat, dicens: *Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas, de qua sine ambiguitate Ioannes Apostolus loquitur, dicens, Charitas ex Deo est. Qui loc⁹ euidenter intelligitur de charitate infusa, de hac ergo loquitur Augustinus, & de cogitatione, quæ possit esse initium eius, quæ non est, nisi cogitatio supernaturalis, & fidei.* Alterum ponderandum, est testimonium Pauli, quo Augustinus suam sententiam confirmat. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.* Nam hæc eadem verba alijs locis Augustinus explicat de cogitatione supernaturali, & fidei, præsertim lib. de Prædest. Sancto. cap. 2. dicens, *Quod ergo pertinet ad religionem, atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus (vtique in citato loco, quem proxime allegauerat) Si non sumus sufficientes credere aliquid, quasi ex nobismet ipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est.* Per pietatem aut, & religionem aperte intelligit Augustinus Religionem Christianam, quæ in fide fundatur, de qua etiam, & de cogitatione, per quam fides inchoatur, in verbis proximè præcedentibus loquutus fuerat, & vocauerat *Gratiam*, quæ non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita, & exemplo conuersionis Pauli illam declarauit.

3. Et eodem modo exponit idem testimonium lib. de Bono perseuer. capit. 8. ubi ait, à Deo habere homines potestatem, ut fiant filij Dei. Ab ipso quippe accipiunt eam, (vtique potestatem) qui dat cordi humano cogitationem, per quas habeat fidem, quæ operetur per dilectionem. Vbi clare loquitur de his cogitationibus interioribus in corde infusis, & ad fidem pertinentibus, & adiungit, *Ad quod bonum sumendum, & tenendum, & in eo perseueranter vsque in finem proficiendum non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, in cuius est potestate cor nostrum, & cogitationes nostræ.* Et similiter dicto lib. de Grat. & lib. arbitr. capit. 7. exponit

eundem locum de cogitatione, quæ est fundamentum meriti supernaturalis, quod semper reducit ad fidem, vel sanctam fidei cogitationem, quod etiam in toto illo libro præcipue intendit, vt ex c. 5. & sequentibus facile intelligi potest. Et eodem modo intellexerunt verba illa Prosper lib. 1. de Vocat. gent. cap. 24. dicens. *Item idem (scilicet Apostolus) in 2. ad Corint. dicit, quod nec ad cogitandum quidem, quod spirituale est, idonei sumus, nisi per gratiam Dei.* Et Fulgentius lib. de Incarnat. & Grat. capit. 17. nam cum dixisset, Deum iustificare impium, & infidelem, gratia suæ bonæ voluntatis fidem, quæ per dilectionem operatur, inspirando, subdit: *Vide quod ad bene cogitandum attinet facultatem testatur Apostolus, quia non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, &c.* Ut alios expositores in eundem locum omitam.

Præterea in lib. 2. de Peccator. merit. cap. 17. etiam loquitur Augustinus de diuina gratia adiuuante, sine qua homo facere non potest, quod iustum est, opus autem iustum intelligit, quod ex charitate Dei fit. Vnde etiam tractat de gratia Dei, qua homo potest viuere sine peccato, quæ certè non est naturalis cogitatio congrua, sed specialis excitatio, & directio Dei, per quam dirigit gressus hominis, & hanc dicit esse medicinam, quæ celitus venit, & gratia clarum, & in Christo manifestam. Cum ergo addit, *per hanc gratiam manifestari bonum, quod latebat, & suauiter fieri, quod non delectabatur, loquitur de bono sanctitatis, & iustitiæ coram Deo, & de suauitate, quam efficit charitas, ab subinde de manifestatione per sanctam cogitationem diuinitus infusam, & ad fidem pertinentem.* De qua euidentius loquitur in dicta quæst. 2. ad Simplicianum, cum ibi expresse declarat, loqui de cogitatione, quæ voluntas hominis moueatur ad fidem. Præterquam, quod in tota illa quæstione, præcipue agit de gratuita Dei electione, & vocatione, & de initio fidei ante omne meritum, & ipse etiam affirmat lib. de Prædest. Sancto. cap. 4. Vnde etiam in eadem quæstione ostendit, nullum posse esse meritum ante sanctam cogitationem ad fidem inducentem: de hac ergo loquitur in ea quæstione, quoties de prima sancta cogitatione loquitur, & de illa dicit, quod gratia Dei inspiratur, & quod per eam ad Deum proficimus, quibus modis solet ab Augustino vera, & interna gratia supernaturaliter indita declarari.

Atque eodem modo exponendæ sunt aliæ loquutiones, quibus absolute dicitur omnis cogitatio à Deo proficisci. Quamquam si sermo sit ita generalis, ut est in verbis Genadij, possit rectè intelligi cum partitione accommodata, nam omnis quidem cogitatio bona à Deo est, tamen ea, quæ naturalis tantum est, procedit à Deo ut authore naturæ per generalem concursum, & protidentiam, quæ autem est vera gratia, altiori modo, & magis liberali à Deo existit, & ad altioris sanctitatem ex se ordinatur, & ideo simpliciter diuina, & sancta vocatur. Quo modo inter dum D. Thomas explicat Scripturam dicentem, hominem nihil boni posse facere sine Deo, sub eadem distinctione, vt si bonum sit naturale, non fiat sine Deo generaliter cōcurrente, si verò sit altius bonum, fiat sine Deo per gratiam operante, vt latius capit. sequenti videbimus. Ordinariè vero loquuntur Patres de cogitatione data homini à Deo vltra communem concursum naturæ, & de illa loquitur aperte Augustinus in citato serm. 171. vt patet ex verbis antecedentibus, & ex proprietate illorum verborum, *Quidquid boni cogitauerit homo subito corde percussus, vtique per internam inspirationem ab Spiritu Sancto infusam.*

Et de hac etiam loquitur manifestè Fulgentius, vt patet, quia loquitur de sancta cogitatione, qua per fidem incipimus liberari à peccato, vel ad illius remissionem obtinendam disponi. Et hoc modo ait in cap. 12. *Per gratuitam gratiam Christi datum esse humano generi, ut etiam cogitationis sanctæ, amissa pridem in homine primo,*

2.
Speciatim
iam expedi-
tur locus
Augustini
adductus in
num. 2.

Ponderatio
2.

3.
Prædictus
locus ab ipso
etiam Au-
gust. exponi-
tur.

4.
Expeditur
deinde locus
alter eiusd.
August. ad-
ductus in
num. 3.

5.
Expeditur
aut addit
in num. 4.

6.
Ad Fulg.
Prosper.

Primo per hominem secundum recipitur facultas. Hæc autem facultas non est naturale lumen intellectus; neque obiectum extrinsecum occurrens, quod possit honestam cogitationem excitare, nam hæc non fuerunt amissa per peccatum: est ergo fides, vel quoad habitum, vel quoad auxilium, quod illam in nobis inchoat. Denique eodem sensu loquitur Prosper, nam illa cognitio, vel scientia, de qua Prosper & alia testimonia ibi citata loquuntur, & per Christum dari dicunt, non est cognitio merè naturalis, sed diuinitus infusa, quæ est fidei, vel quæ dat fidei initium, vt aperte sumitur ex Prospero contra Collator. cap. 19. & Fulgentio lib. de Incarnat. & Grat. cap. 26. & 27. in principio.

Et hinc etiam constat, cætera testimonia, quæ in vltima obiectione proponebantur, rectè intelligi de hac eadem cogitatione ad fidem pertinente, nam illa maxime per Christum datur. Non nego tamen, quancunque bonam cogitationem etiam naturalem dari propter merita Christi, si aliquo modo ad vitam æternam conducatur, siue per se, siue per accidens remouendo prohibens, seu impediendo peccatum, quia talis cogitatio in prædestinatis est effectus prædestinationis, in reprobis vero potest esse effectus generalis providentiæ supernaturalis, & ideo etiam est effectus prædestinationis Christi, iuxta ea, quæ dixi l. p. lib. 3. de Prædest. & l. com. 3. p. disp. 41. Neque inde sequitur, talem cogitationem esse proprium auxilium gratiæ, quia Christus Dominus non solum meruit nobis propria dona naturæ prout ad spiritualia salutem conferre quoquo modo possunt, vt eisdem locis tractaui.

C A P V T XIX.

Proponitur vniuersalis obiectio ex Patribus afferentibus nullum opus bonum posse fieri sine gratia.

1. **H**actenus nostram sententiam stabiliuimus, & per cæteras sententias discurrendo, quasi a sufficienti partium enumeratione eisdem probationem hunc fere in modum concludimus: ad singula opera bona moralia ordinis naturalis, non est necessaria gratia, quæ sit peculiaris motio, vel determinatio voluntatem, vel dans illi physicas vires necessarias ad talem actum, vel quæ sit perfectior, aut excellentior cogitatio, quam per lumen naturale intellectus medijs sensibus per communem causam causarum, & obiectorum naturalium possit excitari cum generali concursu, neque est cogitatio congrua, quæ ratione solius congruitatis sit vera gratia supernaturalis, aut verum auxilium gratiæ; ergo nulla gratia vera est simpliciter necessaria ad quemlibet huiusmodi actum. Et procedendo in hoc discursu, ad propria fundamenta singularum opinionum responsum est. Nunc ad alia, quæ omnibus opinionibus communia sunt, superest respondendum. Et in hoc capite duplicis generis testimonia afferemus, eisque c. 20. & 21. satisfactionem, tum in 22. rationes expendemus.

2. Primo ergo afferri solent testimonia Scripturarum, Conciliorum definitiones, & sanctorum Patrum testimonia. Ex Scriptura vero afferuntur vulgaria loca, in quibus dicitur, nihil nos posse sine gratia, vt Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere*, & ad Philip. 1. *Confidens hoc ipsum, quoniam qui capit in vobis opus bonum ipse perficiet, &c.* 2. *Deus est, qui operatur in vobis vellet, & perficere.* Ad Ephes. 2. *Creati in operibus bonis.* Iac. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.* Omnis autem actus vndique studiosus inter hæc bona computatur. Definitiones autem Conciliorum præcipue sunt Concilij Arausiaci dicentis c. 7. *Diuini est munus cum recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate, & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Et cap. 18. *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia præcedit, vt fiant.* Et 20. *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo, nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstat, vt faciat homo.* Et c. 25. *Hoc salubriter consuevit, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus. Huc etiam spectat, quod dixit Innocent. epist. 26. ad Concilium Carthag. Voluntati liberæ non nisi adiutorium Deesse necitendum, tamque nihil posse cælestibus præsidij destitutam.* Et Cælestin. epist. 1. ad Episcop. Galliar. cap. 7. *Sine cælesti auxilio nihil boni nos posse, ait, & quod nemo nisi per gratiam libero bene vtatur arbitrio, quod refertur ex Innoc. supra, & alia ex Zosimo, & Concilio Africano in c. 8.*

3. Quæ sententiæ, & similes frequentissimæ sunt apud Augustinum; imo ab eo sumptæ sunt, vt videlicet lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 8. de Spirit. & Liter. cap. 28. epist. 106. vbi adeo necessariam dicit esse gratiam ad singula opera, vt propterea dixerit Paulus. *Non ego sed gratia Dei mecum, quia nihil boni agerem si gratia eum non iuuaret.* Et epistol. 107. circa med. & circa finem ait, gratiam non tollere liberum arbitrium, sed potius per eam, ad bona eligenda fieri liberum. Vnde ferm. 13. de verbis Apostoli, *Adiutorium, ait, Spiritus Sancti prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris.* Similia multa habet lib. 4. contr. Iulian. capit. 3. vbi inter alia docet, ante gratiam nihil boni in homine reperi. Et quod grauius est, lib. de Hæres. cap. 28. & in lib. de Gestis Concilij Palæstini contra Pelagian. sæpe, & præsertim in vltimo capite, & in epistol. 106. & 107. & alijs locis maxime probat resolutionem Orientalium Patrum, quæ damnant negantes, gratiam Dei ad singula opera esse necessariam. Cui resolutioni concordat Hieron. lib. cont. Pelag. versus finem, contra Pelagium dicens. *Quæ sententiæ temeritate aufert omne Dei præsidium, dum gratiam eius non ad singula refert opera, sed ad conditionis ac leges, & liberi arbitrij potestatem.* Multatq; habet similia in epist. ad Ctesiphontem. Et his etiam consenserunt alij Patres, horum vestigia sequuti.

4. Et in primis Prosper epist. ad Rufin. ait, liberum arbitrium hominis non renati, id est, nondum per gratiam sanatum, sibi permittum non nisi in suam perniciem moueri. Et ad 3. obiectionem Gallor. ait, *Sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda, qui peccant.* Et lib. contr. Collator. hoc præsertim conatur ostendere, initium omnis bonæ voluntatis esse ex Deo. Vnde in cap. 3. sentit, non posse hominem bonum aliquod facere, nisi prius per diuinam illuminationem bonorum conatum acceperit facultatem. Et in c. 19. *In natura humana post peccatum, ait, quid remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota est damnationis, & pænæ.* Vnde in cap. 22. addit, *Nihil boni operis ex mortuis, nihil iustitia procedit ex impijs, tota ipsorum salus gratia est.* Ideoque contra Calsianum subiungit. *Quid iste impiam infidelium libertatem naturalibus instruit bonis, & proprijs vult iustificare principijs? Quibus verbis tacite infert Prosper, si aliquod bonum opus fieri potest sine gratia, iustificationem fieri, vel inchoari proprijs naturæ principijs, & addit. Quasi vllus sit bonæ voluntatis motus, nisi quem creauerit diffusus per Spiritum Sanctum charitatis afflatus.* Et capite 28. reprehendit dicentes, *sine vilo opere gratia naturaliter omni anima semina inesse virtutum, quia de istis seminibus volunt ostendere quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritum.* Si autem virtutum semina naturaliter non insunt homini, profecto neque aliquod opus potest à sola natura proficisci.

5. In eandem sententiam Fulgentius de Incarnat. & Grat. cap. 16. *Quomodo (inquit) de possibilitate solius liberi arbitrij si non praueniatur à gratia Dei, quantulumcunque sibi bonæ voluntatis exordium reponitur? Et cap. 19. Liberum arbitrium, dicit, quamdiu per gratiam non liberatur, captiuum esse, & seruum peccati, & subiungit, Quamdiu est peccati seruus, non nisi ad seruandum peccato, reperitur idoneus. Et infra addit. *Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa, id est, interior homo noster**